

bero, demonstratio dari non potest, et multo minus de libero divino ex creaturis, quia nullum necessariam connexionem habet cum illis, sine connexionem autem necessaria, demonstratio non subsistit. Rationes autem quæ multiplicari possunt, vel ad probandum creationem mundi ab æterno, vel conantes demonstrare quod in tempore sit productus optime solvit S. Thomas in hac quæstione XLVI, art. I et II et II contra gentil. c. XXXIV et XXXVII et q. III de potentia, art. XVII. Non est necesse eas hic transcribere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

X. Primo objicitur commune philosophorum axioma: Ex nihilo nihil fieri, quod ex natura rei videtur certum, cum inter nihil, et aliquid nulla sit proportio, nec determinatio ad hoc potius quam ad illud.

Confirmatur, quia si Deus crearet ex nihilo, maxime propter rationem D. Thomæ quam affert in hac quæstione XLIV, art. I, et q. XLV, art. II, quia Deus est causa totius entis, eo quod ipsum esse a se, et hoc solum potest esse unum, reliqua omnia sunt ens per participationem, et sic sunt ab illo, quod est ipsum esse a se, quia omne quod participative est tale, causatur ab eo quod essentialiter est tale, sicut ferrum esse ignitum causatur ab igne. Ex hoc autem sequitur quod Deus operetur ex nihilo, quia qui facit ex aliquo præsupponit illud, ex quo operatur: si ergo Deus aliquid præsupponeret, non faceret illud; et sic non faceret omnia: sed hæc ratio non probat: ergo. Minor probatur, quia imprimis non bene inferitur quod ab eo quod est essentialiter tale causetur id quod per participationem est tale, sicut ignis essentialiter est ignis, non tamen omne

ignitum causatur ab igne: potest enim causari a sole, vel per antiperistasim, aut collisionem duorum lapidum sine igne. Item homo essentialiter est animal, non tamen causat omne animatum, et Angelus essentialiter intellectivus, non causat omnem rationem intelligibilem, nec omnem naturam intellectivam, sicut est anima rationalis. Quod si dicatur quod etiam homo essentialiter est rationalis, et non per participationem, contra est, quia etiam creaturæ sunt essentialiter entia, et suam quidditatem habent in ratione entis aut substantiæ: ergo similiter non inferitur quod erunt causata a Deo, saltem quoad quidditatem. Et secundo, dato quod Deus non solum essentialiter sit ens, sed ipsum esse per essentiam, unde sequitur: ergo est causa efficiens cæterorum entium? Nam solum ex ipso esse per essentiam inferri potest quod sit causa formalis, sicut si esset albedo separata, esset causa omnium alborum, sed non effectiva, et ideæ, quas posuit Plato, si darentur essent causæ singularium per participationem sui, non per efficientiam. Et denique tertio, dato toto hoc, solum sequitur quod creaturæ sint a Deo quantum ad existentiam, non quantum ad potentialitatem, quia ex eo quod Deus sit suum esse, solum sequitur quod omne esse creatum sit participatum. At materia non habet esse, sed est pura potentia, et solum per formam participat esse. Unde ergo inferitur quod materia sit a Deo? Si autem hoc non inferitur: ergo neque quod producat ex nihilo, sed ex materia quæ non habet esse in se immediate, et consequenter neque a Deo.

Respondetur quod, ut dicit S. Thomas in hac quæstione XLV, art. II ad I, illud axioma philosophorum procedit in causis particularibus, a quibus res emanant secun-

dum transmutationem de uno esse ad aliud, sicut cum fit homo ex non homine, et ignis ex non igne, non autem in prima emanatione ab universali, et primo principio, a quo emanant res secundum omnem rationem entis. Itaque ex nihilo nihil fit, distinguo; per transmutationem de uno in aliud, sicut agunt causæ creatæ, et particulares, concedo; sine transmutatione de uno in aliud, sed per simplicem emanationem totius entis, sicut agit causa prima, et primum ens, nego. Philosophi autem antiqui solum intellexerunt fieri rerum per transmutationem, et multi eorum non valebant intelligere transmutationem substantialem in materia prima, sed solum accidentalem in subjecto in actu. Loquendo ergo de transmutatione in subjecto recte procedit dictum axioma quod: Ex nihilo nihil fit. Sed est altior modus operandi, quo primum principium operatur, in quantum ab illo procedit ens in quantum ens, id est, totum quod habet rationem entis in re producta; et sic non supponit subjectum quod transmutet, sed totum facit quiddid est. Et ex hoc discerni potest quid sit procedere aliquid per modum totius entis ab alio, et quid sit procedere per modum entis simpliciter. Nam bene stat quod aliquid procedat ab alio, tamquam ens simpliciter, non tamen procedat per modum totius entis, ut ens est. Procedit ut ens simpliciter, quod ex vi suæ processionis accipit primum esse actuale, quod est esse substantiæ, ad quod non requiritur dare totam rationem entis, sed formam substantialem introducere, et consequenter supponit aliquam entitatem quam non facit, sed potentialem, qualis est materia prima. Cæterum procedere aliquid in quantum ens, seu in ratione totius entis, est processionem esse talem quæ totum

quod entitatis esse præbeat, et totum quod quomodocumque participat ens, et habet rationem entis realis; et sic nihil præsupponat neque entitatis actualis neque potentialis, sed totum faciat, quod est ex non ente facere.

Ad confirmationem respondetur rationem D. Thomæ optimam esse.

XI. Ad primam instantiam dicitur quod essentialiter esse tale, et per participationem esse tale non contra ponuntur tamquam essentialiter, et non essentialiter, sed tamquam quod pure, et abstracte est tale, seu impermixte, ab eo quod contracte, et mixte cum alio; atque adeo limitate, et ex parte: id enim participationis nomen sonat, quod est partem capere, id est, non in tota plenitudine, sed in parte, seu participatione; tunc autem aliquid recipitur in partem quando cum aliquo alieno miscetur; et sic non manet in tota sua puritate; quando autem est immixtum, et purum, tunc dicitur manere non participatum, sed per se tale, non solum perseitate intrinseca, et essentiali, sed perseitate solitudinis, seu singularitatis, quia est sine altero, et sine consortio alijus mixtionis, quod est esse abstractum. Et ad hoc adducitur exemplum de igne, et ignito, quatenus ignitum aliquid dicit præter essentiam ignis, ignis autem solam essentiam ignis dicit, licet non importet formam in abstracto: sufficit quod comparatur ut impermixtum, et solam essentiam rei habens, ei qui habet cum limitatione, et consortio alterius limitantis, sicut ignitum respectu ignis. Et hoc modo, quod sic essentialiter est tale, est causa ejus quod participative est tale, quia pars a toto derivatur, et quod est per aliud naturaliter subordinatur ei quod est per se, non determinando modo in quo genere

causæ: de hoc enim statim dicemus.

XII. Sic ergo patet ad primam instantiam, quod omne ignitum est ab igne per se loquendo, vel ab eo quod est ignis eminenter sicut sol, vel virtualiter sicut a calore quæ est virtus ignis, vel ab ipso derivata, vel a motu lapidum cum subordinatione ad causam universalem, quæ est cælum, quod est eminenter ignis, et ignitivum. Ad exemplum de homine, et Angelo dicitur quod essentialiter sunt animal, et intellectivum, sed essentialiter contracte, et limitate, non essentialiter abstracte, et pure, non sunt ipsa animalitas, et ipsa intellectualitas, sed determinatum animal, et determinate intellectivum in tali vel tali participatione, seu gradu, et ita ly essentialiter tale non contraponitur ibi ei, quod est participative tale, sed ei quod accidentaliter tale. Ut enim ly essentialiter opponatur ei quod est participative, oportet quod sumatur ly essentialiter pure, et impermixte, seu abstracte, et sine alia concretione seu consortio limitante: ut autem opponitur huic quod est accidentaliter, sufficit quod habeat connexionem quidditativam, et intrinsecam, non tamen ex hoc sequitur quod sit causa aliorum participantium talem rationem, quia ratio causalitatis hujus non fundatur in essentiali convenientia, et connexionem prædicatorum, sed in perseitate, et convenientia alicujus prædicati ita pura, et impermixta, quod alia comparentur ad ipsa ut minus, et participata, et ex permixtione seu receptione in alio limitatiora, sicut esse in actu puro, quod est in Deo, comparatur ad esse creatum, ut ad permixtum potentialitate, et receptibilitate, unde oritur similitudo. Et quidem bene potest esse quod id quod essentialiter est tale, etiam in concreto, et non in

abstracto possit comparari ut causa eorum quæ participantur ab illo, sicut in exemplo quod adducit D. Thomas de igne, qui est causa omnium ignitorum, et tamen ignis non est abstractum, sed concretum, non igneitas, sed ignis. Sed hoc ideo est, quia ignis licet sit concretum, et non abstractum quantum ad formam ipsam constitutivam naturæ ignis, quia habet formam in materia, tamen est impermixtum, et purum quantum ad consortium extraneæ substantiæ qua caret; ignitum autem dicit naturam ignis, non quomodocumque, sed permixtam alteri extraneæ substantiæ quam afficit et quasi vestit, sicut dicitur ferrum ignitum, lapis ignitus, et respectu horum se habet ut per se tale, respectu ejus quod participative est tale, qua etiam ratione homo potest dici causa omnium quæ humana sunt, et Angelus respectu omnium quæ sunt angelica, quia comparatur ad illa ut ad participantia, et recipientia id quod hominis vel Angeli est; et sic inter participative tale, et formaliter, seu essentialiter tale, solum debet attendi id quod plene, et pure est tale, et id quod partim aut permixte, quia sic limitat, et contrahit illam puritatem; et a plenitudine ad partialitatem, ab eo quod totaliter, et simpliciter est tale ad id quod partialiter aut participative, semper intervenit causalitas seu derivatio aliqua, licet in alia consideratione etiam id quod simpliciter est tale concretum sit; sed quia in abstractis, et remotis ab omni concretione, et materia facilius intelligitur totalitas, et puritas formæ, plerumque hoc quod est essentialiter esse tale, respectu ejus quod participative est tale attribui formis abstractis, et in abstractione subsistentibus. Unde etiam non obstat quod creaturæ habeant suam quidditatem essentiali-

ter, et secundum connexionem essentialem: fatemur enim quod habent illa, et essentialiter, id est, intrinsece, et non accidentaliter illis convenit sua quidditas, et entitas, sed non pure, et impermixte, sed cum admixtione potentialitatis, et receptione aliqua; et sic sunt participative entia, et causata ab eo quod pure, et impermixte est ens in actu.

XIII. Ad secundam instantiam dicitur, quod Deum esse causam effectivam, supposito quod ipsum esse per essentiam, tamquam quod notissimum reliquit D. Thomas. Nam cum causa efficiens in ratione efficientis fundetur super actualitatem, et perfectionem, quia unumquodque agit in quantum ens actu, et per eandem formam, qua aliquid constituitur in esse, operatur in actu, si Deus est ipsum esse per essentiam, et actus purus, nec potest aliquid actualius excogitari, aut perfectius: ergo neque activius, et efficientius, quia tota radix activitatis, et efficientiæ, actualitas est. Quod si ad Deum qui est summa actualitas non pertinet activitas, et efficientia, ad quem pertinebit? Et albedo separata si daretur, eandem efficientiam haberet respectu alborum, si albedo qualitas activa est: et ideæ Platonis efficerent ideata, si eo modo essent ideæ quo deberent esse in vi actualitatis suæ, et quales sunt modo in Deo, non quales a Platone ponebantur, ut universalis in prædicando, non in causando.

XIV. Ad tertiam instantiam dico, quod ex eo quod Deus est ipsum esse per essentiam, sequitur quod sit causa, non solum entis creati, ut habentis esse actuale immediate in se, sed cujuscumque habentis esse immediate vel mediate, ut receptivum ejus, vel ut forma ejus, id est, ut principium quo receptivum, vel

formale. Materia autem prima licet immediate in se non habeat esse, nec sit principium quo formale illius, habet tamen mediate, et ut principium quo receptivum: et sic de se dicit ordinem, et capacitatem ad esse, saltem mediate, id est, mediante forma. Et hoc sufficit quod sit ens participatum a primo ente, et a primo esse, quia est ens capax esse, et habens ordinem ad esse saltem mediate.

XV. Secundo arguitur: Nam si ob aliquam rationem ponimus Deum esse creatorem ex nihilo, maxime ob auctoritatem Scripturæ, ex qua motum fuit Concilium Lateranense ad illam definitionem supra relatam; auctoritas autem Scripturæ non cogit ad asserendum quod illa creatio est ex nihilo, aut quod omnia comprehendit, aut quod solus Deus crearet: ergo. Minor probatur, quia verbum creare quo utitur Scriptura, ambiguum est, nec semper sumitur pro rigurosa productione ex nihilo, sed indifferenter applicatur productioni de novo, etiamsi ex nihilo non sit, ut aliquibus locis ex Scriptura supra ostendimus, et in ipsamet historia productionis mundi utitur Scriptura verbo creandi, etiam ubi clare constat non esse productionem ex nihilo, ut patet in opere quintæ diei, cum dicitur: *Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem*, quam tamen ex aquis, et non ex nihilo produxit. Et de homine dicitur: *Ad imaginem Dei creavit illum*, quem tamen de limo terræ produxit. Ergo si verbum creare indifferenter sumitur pro productione ex nihilo, et ex aliquo, unde infertur quod illud: *In principio creavit Deus, etc.* sumitur pro creatione ex nihilo? Item ibi habetur in plurali: *In principio creavit Elohim*, id est, *judices, cælum et terram*, ubi non solus summus Deus significatur fecisse illa, sed

cum aliorum consortio : ergo vel solus non creat, sed alii creatores sunt, aut ibi non intelligitur creatio in rigurosa significatione. Aut cur in toto rigore intelligitur verbum creare quod sit ex nihilo, et non in toto rigore intelligitur verbum Elohim, seu iudices, quod comprehendat alios præter Deum? Denique, ipsa corpora, et res visibiles non videntur capaces creationis ex nihilo, ob rationem supra insinuatam, quia fiunt per suas partes, quarum neutra creatur, non materia, quia de se non habet esse, nec totale esse, cum sit pars; non forma, quia producit ut dependens a materia, et unita illi, eteducta ex illa: ergo in corporibus non habet locum creatio, et sic non est creator omnium.

Respondetur negando minorem. Ad probationem dicitur verbum illud creare debere sumi in toto rigore, ut supra jam ponderavimus, quia licet verum sit quod verbum creare aliquando in Scriptura non sumitur pro creatione in toto rigore, sed pro productione facta a Deo cum summo imperio, tamen cum dicitur: *In principio creavit* necessario intelligitur nihil ante præcessisse; tum quia Scriptura se explicat dicendo quod fecit Deus ista ex nihilo II Macchab. VII, et quod solus fecit, et nullus alius secum, Isai. XLIV; tum quia sæpissime dicitur Deum creasse omnia, fecisse omnia, etc. Qui autem factor est omnium, nihil præsupponit non factum a se, alias illud non factum esset Deus, vel si esset creatum ens, Deus non fecisset omnia, si illud non esset factum a se, sed præsuppositum. Ergo in principio creandi omnia, necesse est quod ex nihilo fecerit, et sic illud: *In principio creavit* de creatione ex nihilo debet intelligi, licet pro illud principium creatio applicari possit, etiam in his, quæ non ex nihilo fiunt: quamvis homo ad

imaginem Dei creari dicitur ratione animæ, quæ est ex nihilo. Unde sufficiens fundamentum habuit in Scriptura Concilium Lateranense, ut hanc veritatem definirer; et sic communiter tradidere patres, cum determinant contra Arium verbum non esse ex nihilo, seu ex non entibus, sicut ex creatura. Videatur Athanasius libro de incarnatione Verbi, in principio; Cyrillus libro V thesauri, cap. IV; Chrysostomus homil. II in Genes. Basilius, Ambrosius in suis hexameron, et alii.

XVI. Ad secundam probationem dicitur quod verbum Elohim in plurali positum in illis verbis: *In principio creavit Deus*, non significat alios extra Deum creatores, aut cooperatores creationis cum constet Isai. XLIV, quod Dominus solus extendit coelos, stabilivit terram, et nullus secum. Unde nec dicitur ibi creaverunt in plurali, sed in singulari creavit, quod est signum novem Elohim significare non plures creatores, sed unum principium. Ponitur tamen in plurali, juxta Hebraicam phrasim, quæ significat rem magnam per pluralitatem, seu multitudinem, quasi sit sensus: Ille Deus qui est ita magnus, sicut multitudo deorum, aut iudicum creavit cælum. Alii dicunt ibi insinuari in nomine plurali mysterium Trinitatis, quod nescio an consueverit Scriptura Personas divinas nomine deorum appellare. Ut ut est, argumentum parvi momenti est.

Ad tertiam probationem dicemus articulo tertio, agendo de his quæ capacia sunt creari.

ARTICULUS II.

Quid sit creatio ipsa tam active ex parte Dei, quam passive ex parte creaturæ?

I. Duo dicta invenimus apud D. Thomam circa creationem ipsam,

quæ in præsentem examinanda sunt. Alterum, circa creationem active sumptam ex parte creatoris.

Alterum, circa creationem passive sumptam ex parte creaturæ.

Primum dictum est: Creatio ex parte Dei est actio æterna, ex qua tamen non sequitur effectus æternus, sed temporalis, qualem scilicet Deus voluit juxta id quod conceptum, et prædefinitum est. Habetur hæc propositio in hac quæstione XLVI, art. I ad X et II contra gentes, cap. XXXV, et quæst. I de potentia, art. I, ad VIII, ubi docet quod: « Potentia Dei semper est conjuncta operationi, sed operatio Dei non semper est conjuncta effectui. » Et quod actio Dei sit æterna, sed effectus temporalis, iterum repetit qu. III de potentia, art. XVII ad XII et XXVI.

Secundum dictum est: Creatio ex parte Dei non addit supra creaturam, quæ est terminus productus, nisi relationem ad creatorem t ad principium sui esse, sicut in passione, quæ est motus, importatur relatio ad principium motus. Ita habet in hac quæstione XLV, art. III, et qu. III de potentia, art. III.

II. Circa primum dictum, est illa communis difficultas, quo modo actio possit esse sine termino, cum ex extrinseco suo conceptu sit tendentia ad illum, et productio illius; si autem terminum non habet actu, tendentia, et productio actualis ad illum non est: ergo non stat actionem in actu esse æternam, et effectum temporalem. Quod si dicatur actionem istam non identificari cum termino; sed esse actualitatem agentis, contra est quia vel actualitas ista pertinet ad actum primum ex parte agentis, vel ad actum secundum, quo emittitur, et procedit res operata. Si ad actum primum, non est actio, sed virtus, seu potentia; si est actus secundus producendi, et ipsa processio rei operatæ:

ergo non est sine termino procedente illa actio, et consequenter si est actio æterna in actu secundo, erit etiam processio creaturarum æterna, quod est hæresis manifestata.

Secundo augetur eadem difficultas, quia si actio per modum actualis productionis in Deo est ab æterno: ergo et denominatio agendi ab æterno erit, quia non potest intelligi formam aliquam in subjecto esse actu, et non denominare; sed denominatio agendi est esse creatorem, et dici creantem: ergo Deus ab æterno creator est, et creans, quod concedi non potest: nihil enim creat ab æterno: ergo creator non est. Unde hujusmodi denominationes et relationes ex tempore de Deo dicuntur ut D. Thomas ostendit supra quæst. XIII, art. VII.

III. Circa secundum dissentiant a D. Thoma, Molina super quæstione XLV, art. III, et Suarez in metaphysica, disp. XX, sect. V, quantum ad duo.

Primum, quod creatio ex parte creaturæ se tenens non addit solam relationem supra creaturam procedentem: nam hæc relatio super aliqua dependentia fundari debet, non immediate super ipsam entitatem rei creatæ, nisi quatenus dependens est. Hanc autem dependentiam, seu quidquid illud sit quod supponitur ad fundandam relationem dicunt esse modum superadditum rei creatæ, sicut in omnibus aliis effectibus.

Secundum est, quod hæc dependentia creaturæ ut est quædam emanatio, seu effluxus a Deo est actio transiens vere, et proprie, quæ identificatur cum ipso termino. Neque hoc derogat perfectioni divinæ potentiæ, quia potentia divina ita est activa quod non perficitur per actionem; sed ipsa potius actio a potentia recipit perfectionem; nec